



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 262. Quid addendum sit circa excusationem quorundam ratione laboris
vel officii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

maximè debilis, teste experientiâ aliquorum ab eo consultorum: sed opinio illa sequenda non est, nisi concurrant plures circumstantiæ debilitatis vel laboris, nam experientia contraria probat, quòd cum duobus imò & pluribus cauteriis, per se loquendo, commodè stare possit jejuniū, uti rectè Pasq. decis. 266.

1328 Q. 262. *Quid addendum sit circa excusationem quorundam ratione laboris vel officii. R. Seqq.*

§. 1. Quivis labor non excusat à jejunio, nam Alex. VII damnavit hanc 30. prop., *Omnes officiales, qui in Rep. corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejuniū, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

1329 §. 2. Ars ex se laboriosa liberat unumquemque à jejunio, etiam robustum & potentem cum eo labore jejunare, quia Ecclesia non includit sic laborantes, & lex est, secundūm id, quod communiter est, communiter autem non possunt homines cum ejusmodi labore jejunare: E contrà tamen quamvis labor de se non sit talis, ut excuset, si tamen complexio personæ sit talis, ut officium, quod aliis leve est, ipse non possit sine magno incommodo conjungere cum jejunio, excusatur, *Sanch. Regin. Tamb. n. 18.*

1330 §. 3. Opera ex se laboriosa sunt, quæ exercentur cum magna agitatione corporis, per hanc enim spiritus multū consumuntur: & talia sunt, præter relata à Busenb., arare, fodere, triturare, secare lapides, portare onera, texere latos pannos etiam pedum adminiculo, remigare, percursare urbem vendendo merces &c.;

&c.; hæc enim, si longo tempore exerceantur, multum fatigant.

§. 4. *Fagund.* & *Ledesma* apud *Dian.* p. 1. t. 9. R. 8. 1331
 excusant sartores & barbitonsores, sed absolutè tenendum est oppositum cum *Mendo* d. 8. q. 8., quia hic labor fit sine agitatione & incommodo magno: *Steph.* n. 132. excusat sartores, si impensis laborent etiam per magnam partem noctis, sed & hic spectandæ sunt vires, nam labor ille de se non excusat, ergo si vires sint pares jejunio, manet obligatio.

§. 5. *Angles* aliique cum *Burgh.* cent. 3. cas. 5. & 1332
Diana in comp. v. *Jejunium*, n. 10. excusat eos, qui multum scribunt, v. g. Regum Secretarios, quia tale officium requirit constantes vires, sed dicendum est cum *Sanch.* dub. 7. non excusari, possunt enim vires habere sufficientes, quamvis jejunent; imò temperantia & jejunium maximè conducit ad valetudinem sedentiarum.

§. 6. Qui laboriosis operibus incumbunt, excusantur, licet uno vel altero die non laborent, si v. g. sit festum, *Sanch.* suprà, *Dian.* R. 9. *Tambur.* n. 24. *Mendo* q. 7. referens alios multos: si verò tres vel quatuor dies jejunii sequerentur, quibus non laborarent, *Sanch.* & alii dicunt debere jejunare aliquibus diebus ex his, v. g. alternis.

§. 7. Suppositâ fatigatione gravi etiā malo 1334
 fine causatâ, v. g. insequendo concubinam, si non prævideris fatigationem illam fore incompossiblem cum jejuniø, sententia communis habet, quod possis sèpius comedere: imò licet prævideris, adhuc dicunt *Palud.* *Silv.* *Fill.* *Sanch.* *Dian.* *Castrrop.* *Tambur.* *Laym.* l. 4. t. 8. c. 3. n. 5., &

Ggg 4 teste

teste Pasq. omnes communiter , te posse s̄epius comedere , quia moraliter impotens jejunare , non tenetur , atqui talis est moraliter impotens jejunare , uti supponitur , ergo non tenetur : major difficultas est , an hic antecedenter peccarit , etiam contra legem jejunii , ponendo istam causam defatigationis ; negant Led. Med. Bonac. Roccaf. Leand. Pasq. & alii , sed dicendum est cum S. Th. Sanch. Castrop. Diana p. 10. t. 14. R. 11. aliisque communissimè peccasse etiam contra legem jejunii quia sicuti omne præceptum obligans ad aliquid , etiam obligat ad media observationi illius necessaria , ita etiam prohibet omnia incompossibilia cum ipso , uti præceptum Missæ prohibet somnum toto manè continuari , secundum dicta l. 1. à n. 782. , neque verum est , quod sit jus ad ejusmodi actiones , per quas eluderetur præceptum , sed jus ad has suspenditur , præsertim si sint actiones illicitæ , ad quas nunquam propriè est jus : & hæc maximè valent , si tale quid incompossible assumatur in fraudem legis , seu ex intentione non jejunandi , uti omnes communiter fatentur contra Pasq. Roccaf. & J. Sanch. , ac sat is constat ex legibus l. 1. n. 784. relatis , ubi à n. 782. videri debent plura huc spectantia . Ex his ,

1335 Sequitur , omne opus incompatible cum jejunio , esse in die jejunii omittendum , si commode omitti possit , uti habent S. Th. & alii cum Moya t. 1. t. 6. d. 5. q. 1. n. 21. Hinc Tamb. n. 31. non excusavit adolescentem nobilem , qui ex summa voluptate dabat operam arti ferrariæ in elaborandis sclopetis : excusat tamen justa causa , qualis juxta Moyam n. 22. est omnis labor assumptus

ptus ad utilitatem spiritualem aut corporalem, propriam vel alienam; hinc secundum ipsum excusant omnes artes, etiamsi artifices ad sui sustentationem non indigeant, uti docent Rosel. Silv. Less. Vind. Gob. p. 2. prop. 13. n. 18.; qui referunt Eugenium IV. ita declarasse: Item excusant honestæ recreaciones quandoque assumptæ; item universaliter omnia opera jejunio meliora, quia Ecclesia non intendit hæc impedire: Addunt Vcl. Henriq. Castrop. Bonac. Sanch. Bossius, excusare laborem ex quovis honesto fine assumptum, uti si operosè veneris, ludas, curras, pedibus eas ad amicum invisendum, cum posses equo &c., quia nulla lex videtur tibi prohibere talem actionem ex honesto fine suscepit, suppositâ autem fatigatione inde causatâ jejunium est moraliter incompossibile; requirit tamen meritò Sanch., ut hoc non fiat frequenter. Denique notat Less. de Just. l. 4. c. 2. n. 43. eos excusari, qui damni vitandi vel notabilis lucri (cujus occasio non semper datur) captandi causâ laborant, etiamsi ex officio non soleant, ut qui ad nundinas proficiscuntur, præsertim pedites, vel ad alia negotia, quæ commodè differri nequeunt.

§. 8. Si quis actionem graviter fatigantem 1336 & de se non malam assumat, partim ob recreationem, partim etiam ut non teneatur jejunare, aliqui cum Diana p. 1. t. 9. R. 40. putarunt non peccare contra legem jejunii, quia hæc lex nō videtur præcipere, ut abstineam à recreatione mea, nec prohibet, ut me eximam ex eo statu, in quo obligor, alioquin petere non possem dispensationem à præcepto, neque possem hinc,

Ggg 5 ubi

ubi est jejunium locale , exire , ut alibi non jeju-
nem , & tamen hoc licere , dicunt multi relati l. 1.
n. 683. Nihilominus alii cum S.Th. probabilius
contradicunt , ac ipse met Diana p. 10.t.14.R.11.
retractatâ priore sententiâ fusè probat ejusmodi
hominem peccare contra legem jejunii , quia ta-
les leges non tantum obligant , ut quis non impe-
ditus eas observet , sed etiam , ut quamdiu manet
in actu primo obligatus , (uti fit in nostro easu)
non ponat , sine justa causa , impedimentum ob-
servationi : quod si petat dispensationem , vel
exeat è loco , ubi est jejunium , ad alium locum ,
ubi non est , facilius excusatur , quia intendit non
jejunare eo tempore & loco , quo nequidem in
actu primo obligabitur , ille enim tantum tene-
tur , qui non est dispensatus , & est in tali loco , in
quo lex obligat . Vide Vind. Gob. p. 2. prop. 13.

1337 §. 9. Possunt permitti carnes illis , qui labo-
rant vel famulantur inter hæreticos , dummo-
do tollant scandalum , dicendo sibi hoc per Ec-
clesiam licere in tali circumstantia : an autem &
quomodo Catholici se addicere possint ejusmo-
di servitiis , videri possunt dicta l. 2. à n. 102.

1338 Q. 263. *Quid notandum sit circa excusationem
ratione conjugii. R. Seqq.*

§. 1. Licet conjux reddatur minus potens ad
reddendum debitum , non ideo tenetur omit-
tere jejunium , quia habet jus ad opera spiritua-
lia , licet per hæc aliquantum impediatur à de-
bito corporali , ita Corneio , Steph. t. 1. d. 5. n.
131. Tenetur autem conjux jejunare , quam-
vis non sit futurus potens ad petendum debi-
tum , quia non tenetur petere , Tamb. in Dec. l. 4.
c. 5. §. 7. n. 40.

§. 2.